

que, aer frigidus modice, Venae fectio,
adstringentia, opia.

1308. Si his nihil proficitur, Infans
methodo optima, pro situ ejus mutata,
illoco educendus, uterusque ab foetu, pla-
centa, grumoso cruento integre liberandus
erit.

1309. Neque refert; quonam gestatio-
nis tempore id acciderit, cum melius sit
perire, vel aliter peritum, foetum, sal-
va matre, quam perire certo utrosque.

PARTUS DIFFICILIS.

1310. Partus difficilis fit vitio Matris,
Infantisve.

1311. Vitio Matris, deficientibus viri-
bus ad expellendum, vel partibus ipsis na-
turalibus male se habentibus.

1312. Si vires deficiunt, hae excitandae
sunt ope Uterinorum, Cardiacorum, Ster-
nutoriorum.

1313. Si uteri collum internum nimis
angustum, durumve, linimentis succur-
rendum quantum possibile, ut lubricum
emollescat, vel fotu.

1314. Si Tumor hic, (1313.) vel in va-
gina enatus expulsionem impedit, is discu-
tiendus, suppurandus, vel eximendus ope
Chirurgica,

Aphor.

Y

1315

1315. Si excoriata harum partium labia coaluerint, cito, & ante partum, si fieri possit, dissecanda, & cicatrice obducenda sunt.

1316. Si ossium compages arctior iter impediverit, linimentis emollientibus, (1313,) fomentis similibus, lenienda sunt, tum manu lege artis succurrendum parturienti est.

1317. Infantis vitio contingit, ubi ille immobilis mortuus, vel ita situs, ut ipse sibi claudat portam.

1318. Mortuus cognoscitur, si immobilis, si arteriae umbilicales sentiuntur in funiculo umbilicali quiescere, maxime prope corpus infantis; si foetida exeunt; si pondus ingens; si laborat tenesmo; si syncope; horripulatione; halitu graveolente; colore livido; si diu elapsis aquis nondum peperit; si epidermis prompte a cute secedit, si cutis foetus flaccida, facile separanda; ossa mollia, & mobilia.

1319. Simul ac foetus cognoscitur mortuus, (1318.) metu gangraenae, syncopes, mortisque maternae, eximendus est, vel per pedes maxime, si fieri queat.

1320. Situs infantis redigendus est in eum, quo foetus possit educi, vel per caput, vel per pedes inprimis.

1321.

1321. Id efficitur 1. positu Matris debito. 2. mutatione situs infantis.

MORBI PUEPERII.

1322. Puerpera corripitur lipothymia, syncope, convulsionibus, statim a partu: quia sanguis arteriosus a cerebro, & cerebello, aversus agitur in laxa abdominis vasa; dein dolore post partum, a labore tolerato, partibus contusis, a sanguine, toetu alio, secundinisve restitutis.

1323. Fascia lata laxum abdomen fulcens tollit priora mala. (1322.) Foetus aliis, secundinae partes, grumi sanguinis, manu educenda.

1324. Dolor a labore tollitur opiate, antacido, cardiaco, diluente, fotu anodynō externo.

1325. Nīmio lochiorum fluxu vexatur, a nimia fluiditate, agitatione sanguinis, vel ut plurimum a retentis (1322.) in utero, ejus contractionem impedientibus.

1326. Si a retentis, haec educenda. (1323.)

1327. Si ab affectu animi, sanguine nimis fluido, nimis agitato, concurrendum ad hordeata gelatinas emulsiones, opita, adstringentia.